



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 41. Conficta Religionis gravamina.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. Concordata Anno 1699. Art. 7. ejus-  
 A. C. 1727. modi matrimonia Calvinistis indulse-  
 rint, & hi pacto oneroso hanc liber-  
 tatem acquisiti fuerint, proin hæc li-  
 bertas per statutum eis adimi nequeat.  
 His ponderatis Senatus decrevit, hoc  
 quidem statutum in suo robore esse  
 conservandum, ad contrahentium ta-  
 men preces Magistratum, si bene visum  
 fuerit, dispensare posse.

## §. XLI.

*Conficta Religionis gravamina.*

Jam ab aliquot annis Lutherani Præ-  
 dicantes circuiere Salisburgenses  
 alpes, ut facerent unum alterumve  
 Profelytum ex illis, qui ob tardius  
 ingenium, animumque versutix impe-  
 ritum objecto liberioris vitæ hamo fa-  
 cile capi poterant: Ejusmodi condi-  
 tionis erant duo Coloni, Rupertus  
 Leiber, ejusque Avunculus nomine  
 Martinus Dillener, qui Werfæ, Salis-  
 burgensi oppido agentes per libros hac  
 secta infectos misere decepti fuerunt,  
 suoque fanatismo impulsivi inde emigrare  
 pararunt. Re autem detecta ambo de  
 apostasia convicti promeritas dederunt  
 pœnas, bimestri carcere multati, per-  
 versisque libris spoliati. Hæc ubi re-  
 sciverat Ruperti Filius mox ad Saxo-  
 niæ



niæ Electoris Oratorem libellum sup-  
 plicem dedit, in quo falsissime expo-  
 suit, ejus Patrem in Lutherana Reli-  
 gione natum atque educatum hos li-  
 bros a suis Majoribus recepisse, & Sa-  
 cram Cænam recipiendi animo alior-  
 sum pergere voluisse, nunc vero de-  
 terrimo carcere detineri, donec purio-  
 rem Evangelii doctrinam ejuraturus  
 esset, Werfæ autem Prætorem nulla-  
 tenus Religionis Zelo, sed duntaxat  
 miseræ hujus familiæ bona aucupandi  
 studio, inscio & fors & invito Principe  
 atque Archiepiscopo Salisburgensi, ad  
 tantas immanitates devenisse &c. Ad  
 has preces inclinatus Augustus He-  
 nich Saxonici Electoris Secretarius  
 nomine *Corporis*, ut vocant, *Evange-  
 licorum* ad L. B. de Zillersberg Salis-  
 burgensem Legatum literas dedit, in  
 quibus Rupertum & Martinum e car-  
 ceribus liberari, eisque ablatos libros  
 restitui, illataque damna refarciri, ac  
 denique ipsis sua bona vendendi liber-  
 tatem concedi petiit. Verum ad hæc  
 Salisburgensis Legatus respondit, fal-  
 sissimum esse, I. quod ambo delinquen-  
 tes in Lutheri secta nati, educatique  
 fuissent; omnibus enim esse perspectum,  
 utrumque in Religione Catholica natos  
 atque enutritos fuisse, II. eos non ob  
 emigrandi voluntatem fuisse custodiæ  
 datos,

Sæc. XVIII.

A. C. 1727.



Sæc. XVIII. datos, sed quia prohibitos, hæretici-  
 A. C. 1727. cosque libros contra Cæsaris & Salis-  
 burgensis Principis interdictum non  
 modo retinissent, sed etiam *cum per-  
 versione aliorum* in Salisburgensi ditone  
 vendidissent, ac divulgassent; vi au-  
 tem pacis Westphalicæ nequidem Im-  
 perii Principibus licitum esse, *alienos  
 subditos ad suam Religionem pertrahere,  
 eave causa in defensionem aut protectio-  
 nem suscipere, illisve ulla ratione patroci-  
 nari*, potiori ergo ratione privato cu-  
 jusdam Principis subdito diversam re-  
 ligionem profitenti vetitum esse, ac  
 nullatenus licere, prohibitos libros re-  
 tinere, eosque in ditone, in qua Lu-  
 therana Religio nec publicum nec pri-  
 vatum exercitium in anno normali ha-  
 buit, in alios disseminare, ac diven-  
 dere. Cum ergo constaret, immatu-  
 ros hosce Apostolos *in re plane illicita  
 versari*, speciem facti malitiose expo-  
 suisse, & falsa narrasse, hinc Salisbur-  
 gensis Archiepiscopum confidere,  
 Evangelicos imposterum iniquis, fri-  
 volisque ejusmodi delatoribus aures  
 minime præbituros, sed eos ad suos  
 Principes remissuros, præcipue cum  
 Salisburgensis Princeps jamjam die  
 nona Maij ambos hosce subditos rela-  
 xari, eosque circa fidei suæ professio-  
 nem audiri jussisset, ut cum eis juxta  
 Im-



Imperii leges procederetur. Ita de- Sæc. XVIII.  
 mum hæc falsitatum machina per ge- A. C. 1727.  
 nuinam facti expositionem facile dif-  
 filiit.

Eodem numero habebantur que-  
 relæ, quas Ursula Ranerin deferebat;  
 cum enim ejus Pater Andreas Raner  
 Kiebisfeldensis Colonus Lutheri Bi-  
 blicia, aliosque hujus sectæ libros apud  
 se retineret, illisque continuo uteretur,  
 ejus Filius religione Catholicus infau-  
 stam Patris sui vicem dolens, pœnas-  
 que sancitas veritus, rem Oenipontano  
 manifestavit Consilio, cujus jussu An-  
 dreas die vigesima septima Maij Kie-  
 bisfeldii custodiæ dabatur: Tertia  
 autem post die in publico supplicii loco  
 lignorum strues accendebatur, & Bi-  
 blicia, duo cantilenarum libri, Haber-  
 manni libellus precatorius, & Para-  
 disii Hortulus, alique libri prohibiti,  
 præsentate ipso reo, & assistentibus ju-  
 stitiæ Administris comburebantur, quo  
 facto Andreas die prima Junii Kuffstei-  
 nium deductus ibidem inclusus est. Hic  
 vero captata occasione colloquendi cum  
 Filia sua Ursula illam rogabat, ut Pro-  
 testantes Principes sollicitaret, quate-  
 nus Hi Patrem liberum dimitti, eique  
 suisque prolibus emigrandi licentiam  
 concedi, apud Tyrolense Consilium im-  
 petraret, quod etiam ejus precibus  
 datum



Sæc. XVIII. datum est, Catholicis ejusmodi profes-  
 A. C. 1727. lytos Lutheranae Ecclesiae adeo non  
 invidentibus, ut etiam suam Ecclesiam  
 ab hac fæce expurgari lætarentur.

## §. XLII.

*Dissidium inter Vadegotiæ Abbatem,  
 & Pont-Saraviensem Co-  
 mitem.*

Fruebatur jam a tempore memoriam  
 hominum excedente exemptionis  
 prærogativa, longe celeberrima Præ-  
 monstratensium Abbatia nomine Vade-  
 gotia in Austrasia tertio lapide a Sara-  
 Ludovici Urbe sita: postquam vero  
 Carolus Ludovicus Nassavio - Pont-  
 Saraviæ Comes religione Lutheranus  
 sui Comitatus Regimen adierat, hanc  
 Abbatiam, ejusque bona ac subditos  
 sibi tanquam supremo Domino Terri-  
 toriali subjectos esse obtendebat. Op-  
 ponebat jam tum Gretschenus Abbas  
 hujus Monasterii, exemptionis privi-  
 legium & foundationis ac donationis  
 diploma ab Henrico IV. Imperatore  
 concessum, vi cujus hæc Abbatia pro  
 immediato Imperii Statu agnosceba-  
 tur: id etiam ex literis, ut vocant  
*Reversalibus* Anno 1466. datis constare,  
 & Comitibus nonnisi *protectionis* ac de-  
 fensionis jus competere, demonstrabat.

Nihilò